

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Ioannes Pfeffingervs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES PFEFFINGERVS
S. Theol.



*Magna oris grauitas, animi constantia magna,
Doctrinæq; fides: Lipsia nouit adhuc.*

M. D. LXXIII.

IOANNES PFEFFINGERVS BAVA-
rus, natus anno M. CCCC. XCIV:

Specatæ tum eruditionis, tum probitatis vir,
& insignis Theologus;

Totus à primâ ætate promouendæ Christi
gloriæ addictus;

Superfitione repudiata Pontificiâ, etiam multò
ardentius, veritatem agnitam amplexus:

Sacrarum literarum Doctor præclarus;

Lipsiensis Ecclesiæ Pastor & Antistes verus,
ac venerandus;

Fatis concessit anno Christiano M D. LXXIII.

Æt. XXC. III. Non Ianuar.

PETRI LOSSII.

Eximium cathedræ decus, & pia fama suorum,

Ille ego sum populi Lipsiæ clara tui.

Qui verbis potui mollire adamantina corda:

Solvere qui curis tristitiaq; graues.

Exemplum fueram morum, & pietatis honestū:

Id quoque nunc cultâ posteritate probò

Inuide dic de me nunc quidlibet: iunctus ipse ego

Christo, te longè sum meliore loco.

IN

IN IOANNEM PFEFINGERVM
Theol. Lipsicum.

EPIGRAMMATA.

'GREGORII BERSMANNI.

Qui Pfeffingeri similes in imagine vultus
Aspicis, hospes & hac pellege scripta memor,
Bauaria dedit hunc tellus in luminis oras:
Quem vitâ sanctum Lipsia condit humo.
Dicere longa mora est, per quot discrimina rerum
Hunc exercuerit Demonis ira trucidis:
Finibus extorrem patria, pressumq, suorum
Inuidiâ, atque odijs turba profana tuis:
Dum venale Papæ cælum, missamq, perosus,
Mauult esse tui portio Christe gregis:
Cui se doctrina studio, sanctoq, labore,
Atque opera curâ, consilijsq, fide
Addixit, moderansq, scholas, & tēpla gubernans:
Haud grauis imperij fulmine, pacis amans.
Testis erit iuueni vitæ sine labe peractæ
Leucoris, & seclis fama, Luthere, tui:
Et tu, relligionis apex, diuine Melanthon:
Et tu, qui clarum de Cruce nomen habes:
Postq, hos consilij confors, sociusq, laborum,
Tu quoque adhuc nostræ spes, Ioachime, schola.
Orba sui luget Pastoris Lipsia fatum:
Amissumq, gemit Misnidos ora patrem.

*Salve sancte senex, decus ô venerabile morum:
Salve cœlestum consociate choris.*

M. I. L.

*Quam benè Pseffingere tuos sub imagine vultus
Artifici hæc spirat picta tabella manu!
Cui Deus excelsis Philyra sub manibus vrbis
Pascendum verbo tradidit ipse gregem.
Namque Dei pastor vix dignior vllus ouili:
Dignius aut curâ talis ouile ducis.
Cuius ut est vultus comi grauitate seuerus:
Et purâ cultus simplicitate nitet:
Sic quoque vita grauis, sic omnis nescia fuci:
O prisco verè tempore digna patrum!
Quam licet haud vno proscindat crimine liuor:
Attamen ipsa Deo salua probante manet.
Est aliquid dignante Deo de millibus vnum
Grande ministerij munus obire sacrum.*

P. CANDIDI.

*Lipsia, vera Dei te Pseffingere docentem,
Audiit intentis dogmata pectoribus.
Magna quidem est pietas, patria seruire docendo:
Maior at est ipsi grata docere Deo.*

NICOLAI REVSNERI.

*Præco Dei magnus, magnus virtute fideq̄,
Magnus eras verâ religione Dei:*

X

*Pfessingere senex, vitâ grauis auctor & annis.
Quid tum? post aui lustra bis octo peris.
Mors tua sic lani funestat musta Calendas:
Leta tibi, nobis qua nimis egra venit.
Lipsia quem multis annis mirata docentem
Nunc gemit, & sacri concio tota gregis.
Salue sancte senex, venerande nepotibus ipsis:
Fama tui nescit nominis ampla mori.*

PETRI LOSSIL.

*Eximium cathedra decus, & pia fama suorum
Ille ego sum populi Lipsia clara tui.
Qui verbis potui mollire adamantina corda:
Soluere qui curis tristitiaq; graues.
Exemplum fueram morum & pietatis honestum:
Id quoque nunc cultâ posteritate probô.
Inuide dic de me nunc quidlibet: ipse ego iunctus
Christo, te longe sum meliore loco.*

GEOR-